

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Strabonis Geographicorum [geographicorum] Lib. XVII

Strabo

Basileae, 1539

[Initiale]

urn:nbn:de:bsz:31-67095

STRABONIS

GEOGRAPHICORVM

LIBER NONVS.



BSOLVTA Peloponnesi circuitione, quam primam quidem, cæterum minimam cherronesorum, id est ex penin-
sulis esse diximus, Græciam componentibus, deinceps
adeundæ sunt contiguæ. Fuit autem secunda, ea quidem
quæ Peloponneso Megarenses applicat oram. Tertia ue-
ro quæ præter hanc Atticam assumit atque Bœotiam, &
quandam Phocidis partem, & Locrorum cognomento
Epîcnemidiorum, adeo, ut Crommyonis ager, non qui-
dem Corinthijs, sed Megarensibus attineat. De his igitur in præsentiarum sumen-
dus est sermo. Refert autem Eudoxus, quod si quis mente conciperet rectam quan-
dam lineam à Ceraunijs montibus ad Sunium Atticæ promontorium, in orien-
tis partes protensam, dextra quidē relinqueret Peloponnesum totam ad austrum,
sinistra uero & ad Arcton continuam à Ceraunijs montibus maritimam ripam,
& usque ad sinum Crissæum & oram Megarenses, & Atticam uniuersam, & ea
quæ deinceps sunt. † cum sic & Eudoxo dictum sit, uiro quidem mathematico fi-
gurarumq; atque climatum peritissimo, horumq; locorum scientissimo, intellige-
re oportet, hoc ipsum latus Atticæ ab Sunio usq; Isthmum cum tractu Megarico,
curuum quidem, sed permixtum. In hoc autem spatio ad mediam quodammodo
prædictam lineam, Piræus consistit Athenarum portus & emporium, abest uero
à Schœnunte Isthmi, initio ad stad. ccc. l. Ab Sunio autē stad. xxx. supra ccc.
Tantum ferè interuallum est, quod à Piræo ad fontes, quantum ad Schœnuntem
interiacet. Plus tamen esse stad. x. afferunt. Cum Sunium autem circumflexeris, ad
aquilonem quidem nauigatio est in occasum uergens. Litus autem circumpositi
maris utrinque initio perangustum est, postea in mediterraneam dilatatur. Nihil
autem minus inflexionem ad lunæ figuram accipit, uidelicet curuaturam uersus
Oropum telluris Bœotia, ad pelagus habens. Hoc autem secundum est latus Atti-
cæ in Orientem spectans. Reliquum est latus aquilonare ab Oropio agro ad occa-
sum inclinans, usque ad tractum Megaricum. Montanæ Atticæ plaga, multis in si-
gnita nominibus, Bœotiam disiungit ab Attica. Quocirca (ut superius dixi) Bœo-
tia mari utrinque complexa Isthmos, tertiæ iam dictæ peninsulæ siue Cherronesi ef-
ficatur, qui propinqua Peloponneso loca, & Megaricam ac Atticam comprehen-
dit interius. Ideoq; apud ueteres ἀκτῶν, id est litus appellatam esse constat, & nomi-
ne deriuato pro Actica, Atticam esse nūcupatam, quoniam maxima illius pars ad
mare est extenta & angusta, oblonga uero satis, & porrecta montibus usq; Suniū
subijcitur. Has igitur percurremus maritimas repetentes oras, unde digressi su-
mus. Post Crommyonem igitur Scironides Atticis finibus imminent petra, iux-
ta mare transitū non relinquentes. Super eas autem uia est in Atticam atq; Mega-
ra ab Isthmo ducens. Adeo autē magis ac magis uia petris propinquat, ut in mul-
tis eius partibus præcipitium uiatori minetur, tam excelsus & transitu periculosus
mons incumbit. Hoc in loco Scironis res in monte gestæ, latronumq; & flectētes

* Hoc loco in
Græco codice
lacuna quedā
fuit, ita ut ap-
pareat hic alia
qua deesse.
Eudoxus.
Piræus.
Sunium.

Oropum.

Bœotia.

Acte.
Attica appella-
tio.

Scironides pet-
ra.

Sciron latro.